



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488153

Pro die quinta Meditatio secunda. De pœnis purgatorii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

peccato gravi respondens, in inferno est æterna, ita pœna respondens tali peccato veniali, in inferno pariter erit æterna, cum in inferno nulla, nulla sit redemptio nec à culpa, nec à pœna.

Hæc est tam divi Thomæ Aquinatis, quàm divi Bonaventuræ, aliorumque Theologorum solida doctrina; & tu vilipendes, & contemnes culpam, quæ tam atrociter punitur? disce æquior lance impostero malitiam peccati venialis ponderare; age pœnitentiam in hac etiamnum vita; itidem & frequentissimè veniam à Deo pete sequenti oratione.

Omnipotens æterne Deus, mihi famulo tuo pro tua pietate relaxa peccata vel minima, ut non amplius mihi noceat conscientie reatus ad pœnam quàm indulgentia tuæ propitiationis prosit ad veniam. Per Dominum nostrum &c.

*Dies quinta**Meditatio decima.**De pœnis purgatorii.*

Per soluta oratione præparationi consueta, præmittes Meditationi duo sequentia præludia.
Pri-

Primum esto, uti tibi proponas animam, Christi sponsam, quæ diu & ardentissime ipsum desideravit in hac vita; tandem disruptis vinculis corporis, libero volatu, rectâ in amplexus desideratissimos sui Sponsi divini ruere parat, æternis agni nuptiis in cælo fruitura; ab hoc tamen contemptim rejicitur, & cum indignatione ad igneum purgatorii balneum ablegatur, non antè in suo comparitura conspectu, quàm ab omni, etiam minimo nævô mundata, emaculata, & tota pulchra fit.

Secundum esto: pete à Deo gratiam clarè cognoscendi acerbiteriam pœnarum purgatorii, & differentiam inter modum, quo anima à suis peccatorum maculis purgatur per pœnitentiam in hac vita, & inter modum, quo maculæ illæ delentur in altera vita per ignem: unde statues, potius primum modum, magis facilem, & insuper meritiorum, quàm secundum magis difficilem, & omnis meriti expertem eligere. Rogaitaque Deum, ut tibi assistat, & opem conferat ritè utendi primò peccatorum pœnas delendi modò; unde sæpius cum Davide clamabis ad Deum: *amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: aspergas me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealabor.* Ps. 50. vel cum Isaia: *extorque ad purum scoriati meam, & aufer omne stannum meum c. 1.* Hæc ipsa verba adhibe pro precibus jaculatoris.

Meditatio dividatur in hæc tria puncta 1. Pœnæ purgatorii incurruntur faciliè 2. suffe-
runtur difficulter 3. illis, qui harum solutio-
nem post mortem differunt, detrimetosa
sunt.

Punctum primum.

Confidera, quàm facile ac pronum sit, ut
personæ, etiam Ecclesiasticæ laudabilem, &
religiosam vitam ducentes, se reas faciant
pœnarum purgatorii; quod colligitur ex
auctoritate scriptorum, & ipsa ratione.

1. Quàm facile incurrantur pœnæ purga-
torii, desumitur ex vitis Sanctorum; in his
leges, quòd Sanctorum plurimi in mortis
articulo contremuerint. Surius narrat, di-
vam Catharinam celeberrimam Ægypti Mar-
tyrem, dum caput persecutoris gladio sub-
jecit, timuisse vicinam divini judicis senten-
tiam, quamvis paulò antè à virginea Chri-
sti Matre visitata, & divino ejus Filio Chri-
sto desponsata fuisset. Sic timuit morti pro-
pinquus Hilarion, quamvis in eremo inter
summas austeritates septuaginta annis Deo
fidelissimè serviisset: & ut hoc ipsum in viro
Ecclesiastico, tanquam in speculo conspicias,
tibi D. Cyprianum Martyrem Carthaginen-
sem Episcopum, genuinam veri Ecclesiastici
idæam ob oculos pono; qui post distribu-
tas in pauperum turbam facultates omnes,
vitam

vitam

vitam & sanguinem pro Christo jamjam profusus, districtum Dei iudicium timere non desit. Cardinalis Bellarminus non minùs ob vastam suam scientiam, quàm ob eximiam integritatem morum toti orbi notissimus, ad extrema deductus, illis, qui lectulum moribundi cingentes, spem faciebant, rectè & sine mora, in purgantibus flammis trahendâ, ad cœlum evolandî, disertè reposuit: *Ego verò hanc spem non habeo.*

Hanc ipsam spem se non habere demonstrârunt apertè S. Ephrem, S. Monica, S. Carolus Borromæus, S. Ludovicus Rex Galliarum, quando procurârunt, testamentis caverunt, ut tot post mortem pro se, suâque anima persolverentur preces, missæ, sacrificia, suffragia, & pia litra: sed quod plus est, complures ex Sanctis, quos aris impositos debito cultu veneramur, non solum de copiosis post mortem pro anima suffragiis prospexerunt, verùm ipsas etiam flammâs purgatorias senserunt. Sic narrat S. Gregorius Episcopus Turonensis, S. Vitalianam virginem comparuisse S. Martino, & suam, in purgatorio carcere detentionem significâsse, hujusque precibus ex eo liberatam fuisse. S. Petrus Damianus in epistola ad Desiderium Abbatem Cassinensem narrat, S. Severinum Archiepiscopum Coloniensem sanctitate & miraculis clarum, post mortem visum fuisse in stagnum aquâ fervente plenum collo tenus demersum, non

alia

alia de causa, nisi quòd Canoniarum horarum penso aulæ curis distractus, indevote decurreris.
 Non ignoro hanc narrationem, in dubium trahi à Baronio in suis Notis ad Martyrologium Romanum 23. Octobris; verum hæc, & prior narratio vindicatur, & approbatur à Bellarmino de purgatorio L. i. cap. 11.

Si Ecclesiasticus tantæ virtutis, & sanctitatis, quantæ erat S. Severinus, non effugit ob admissas, in persolvendo precum Canoniarum penso, mentis tot curis ac negotiis aulicis distractæ, & occupatæ evagationes, poterisne tibi persuadere, te ab his pœnis eximendum, qui omnibus ejusmodi curis, & gravissimis negotiis liber, tam tepidè, tam indevote, mente aliò assiduè aberrante, Canoniarum precum diurno penso satisfacis? proinde si tam facilè, tam pronum est, purgatorii pœnas mereri, & incurrere, quid tecum statues, quid decernes? utique hoc unum, & quidem seriò, quòd omnem conatum, & diligentiam in posterum adhibiturus sis, ut has non solum minuas, sed etiam extinguas, in hac etiamnum vita, per opera pœnalia ultrò suscepta, per solidam rigidamque pœnitentiam, per diligentissimam fugam peccatorum venialium, præsertim deliberatè commissorum, quippe radicem & unicam originem harum pœnarum.

2. Ipsa ratio humana, auctoritate S. Scripturæ nixa demonstrat, quàm facilè nos possimus pœnarum istarum reos facere.

Cer.

Certum & extra dubium omne positum est, omnem ingressum in cœlum illi à Deo præcludi, qui non ab omni omnino, quamvis minimo nævo, ac reatu sive culpæ, sive pœnæ liber, ac mundatus est. In cœlestem illam Jerusalem *non intrabis aliquod coinquinatum.* Apocal. c. 21. Deus puritatis in sua præsentia clarè revelatâ, in illo regno gloriæ, ante purissimos oculos suos tolerare nihil potest, nisi quod sit purum, vel ab omni macula purificatum. Ex altera verò parte, quis non scit, quis non experitur, quàm fragilis, variabilis & ambulatoria sit nostra voluntas, & corrupta natura, & quàm frequenter quotidie prolabatur in defectum aliquem saltem levem: *septies in die cadit justus.* Prov. c. 21. communis doctrina Theologorum est, hominem, nisi speciali Dei gratia roboretur, non posse longo durare tempore, quin subinde cespitet, & veniale aliquod peccatum committat; hoc privilegium, specialem hanc gratiam B. virgini concessam novimus ex Concilio Tridentino Sess. 6. Canone 23, sed alii etiam cuiquam Sanctorum ejusmodi privilegium concessum fuisse, certò non constat.

Hinc inferes ac concludes, illos solummodo justos purgatorii pœnas effugere, qui pœnitentiæ opera ultrò in se suscipiant, multiplicent, & sine interruptione continuant, dum vivunt; & quidem eum in finem, ut hic etiamnum debita, quæ cum divina justitia

ria contraxerunt multa & magna, expungant omnia, usque ad ultimum quadrantem. Et hi quàm rari, quàm pauci sunt! tu viribus omnibus allabora, ut horum numerum augeas. Noli manus dare, noli cedere amoris proprio; qui se ipsum non oderit, nunquam Christi discipulus erit. Itaque Deo sociare; unius cum Deo mentis esto, ut in hac adhuc vita de omnibus Deo illatis injuriis & offensis quibuscunque, debitam vindictam sumere decernas.

Reatus adhuc residuus, si non culpæ, saltem pœnæ, expiatur & eraditur aasperitate operum pœnialium, & mortificationum sponte susceptarum, aut adversitatum æquanimitèr toleratarum. *Peccati sanies non solum abstergenda, sed abradenda est asperitate doloris.*
Petrus Blesensis serm. de transfig.

Punctum secundum.

Perpende, quanta sit difficultas in tolerandis purgatorii acerbissimis pœnis; quod colligi potest ex triplici capite 1. ex harum numero. 2. ex harum natura, sive qualitate. 3. ex harum duratione, sive diuturnitate.

1. Imprimis reperitur in purgatorio utrumque illud pœnarum genus, quod reperitur in inferno, nempe pœna sensûs, & pœna damni. De pœna sensûs docet equidem S.

N

Tho-

Thomas, eam nullatenus differre ab ea, qua puniuntur damnati. Nititur hæc Angelici doctrina auctoritate celebris illius ef-fati ab Augustino prolata: *eodem igne torquetur damnatus, & purgatur Electus. in 4. Dist. 21. q. 1. art. 1.*

Tuum non est examinare modum, quo materialis, & sensibilis iste ignis torquere possit animam spiritualem. Certum, & juxta unanimes tam Patrum, quàm Theologorum doctrinam indubitatum est, purgatorium ignem esse verum, & materiale ignem, non minùs, quàm ignis infernalis, qui cruciat ipsos dæmones, utique puros omnisque corporis expertes spiritus: imò hæc ipsa de causa, quia animæ purgatricibus addictæ flammis, nulli corporeæ moli sunt alligatæ, ignis ultor, à Divina justitia applicatus, eò acriùs & sensibiliùs eas urit, & mordet, tum quia hæc applicatio, & admotio tormenti ad reum torquendum, est intima, & intrinseca: qualis nunquam est applicatio ignis sive flammarum ad corpus alicujus rei, à legibus ad vivicomburium condemnati; nam hunc flammæ nunquam penetrare, sed solùm in exteriori superficie carnis arrodere possunt; tum quia anima, cùm non consistet diversis partibus, ut corpus, sed sit indivisibilis, torqueri non potest tantùm una sui parte, quin simul torqueatur tota, in corpore tamen plerumque unum duntaxat cruciatur membrum, dum interim cætera
manent

manent illæsa; tum quia anima longè nobilior corpore, sicut longè majoris & purioris gaudii, & delectationis capax est, ita vicissim dolores, qui illam premunt, longè delicatioris, & acerbioris sensûs sunt; ferè sicut nobilis delicatæ complexionis, & tenerè educatus homo longè graviùs sentit, & difficiliùs tolerat cœli intemperiem, & temporum injurias, rigores, vel calores, quàm rusticus crudè educatus, & à primis unguiculis aëris cruditati, & inclementiæ, laboribus, & sudoribus assuefactus.

Quod attinet ad pœnam damni, certum est, animas illas acerrimo affligi dolore, dum vident, se suâ culpâ arceri à possessione, & fruitione summi boni: ardentissimis sanè desideriis suspirant, & anhelant ad Deum videndum, & flagrantibus trium affectuum alis summo impetu evolare conantur in amplexum Dei.

Primus horum affectuum est, inclinatio ac propensio ab ipsa natura cuiusvis insita erga ultimum sibi que præfixum finem, ad quem feruntur, séque impelli sentiunt vi quadam occultâ, & illi non absimili, quâ omnia gravia deorsum, & ad suum centrum tendunt.

Secundus est spes supernaturalis, quæ passis brachiis Deum suum attrahere, stringere, sibi que intimè unire, tanquam unicum suum, & summum bonum, ac vicissim se ipsi

nunquam dissolvendis vinculis omnimodè conjungere posse anhelant.

Tertius est charitas Theologica, qua suspirant, posse se ipsas totas, quidquid sunt, & habent, Deo immergere, ab hoc perfectè possideri, & quodammodo absorberi.

His tribus gravissimis ponderibus ad Deum tractæ, & impulsæ, cùm vident se violenter retineri, & repelli, non alio obstante obice, quàm quem sibi met ipsis per sua peccata posuerunt, non minorem sentiunt pœnam, ac dolorem, quàm sentiret, si saperet, & sentire posset rapidissimus fluvius, vel potiùs torrens, videns vias sibi omnes insuperabilibus obstructas repagulis, se in mare, suum centrum, & sui rapidissimi cursûs unicum scopum ac finem, effundendi.

Nec tibi persuadeas, quòd summa harum captivarum cum divina voluntate conformitas, pœnis omnem acerbiter abstergat, cùm hanc potiùs augeat; desiderant enim ipsæmet esse ita constitutæ, prout eas constitutas esse vellet Deus; hinc agnoscentes, se necdum tam puras, & ab omni nàvo defœcatas esse, quales purissimus DEI oculus eas desiderat, mirè affliguntur, & ex hoc ipso fonte promanat in ipsas major animi amarities, & dolor mordacior, non aliter, quàm affligitur intimè, qui tenerrimè amans probè novit, illas sibi deesse dotes,
 quas

quas necessario inesse oportet amanti, ut ab amato redametur.

Huic pœnæ adjungi poterit & illa, quæ oritur ex clarissima cognitione jacturæ, per totam æternitatem irreparabilis, tot graduum gloriæ per suam incuriam, desidiam, aliasque culpas, licet leviores factæ. Hæc jactura magis affligit has animas, quàm ipsa dilatio æternæ felicitatis; nam hæc tandem finitur ac tollitur; illa verò nunquam amplius refarciri potest.

Si te hæc duplicis generis damna non moveant, nec terreant, in causa est partim crassâ bonorum æternorum ignorantia obtenebratus intellectus tuus; partim voluntas tua, non nisi bona sensibilia æstimare, horumque amoribus se penitus immergere solita; partim status tui, in quo nunc vivis, conditio, hic enim quamdiu durat, in hoc mundo te reddit inhabilem ad obtinendam & possidendam beatitatem, illis solum, qui hoc mundo decesserunt, debitam: sed animæ illæ, positæ jam corporis exuviis, clara cognitione intuentes bona, illa æterna sibi debita, ardent ingenti desiderio illa quanto magis possidendi: sunt etiam aptæ & dispositæ ad adeundam horum possessionem: sed retrahunt illas catenæ igneæ, quibus vincuntur, & hinc idem ferè sentiunt tormentum, quod sentirent illi, qui rabida fame corrosi, & arida siti exhausti, mensam operis cibus instratam, nectare, promulside,

omnisque generis generosissimis, & delicatissimis vinis onustam, cernere quidem, nec bolum tamen minimum, nec unicam guttulam ex appositis delibare possent.

2. Ut gravitatem harum pœnarum plenius agnoscas, & capias, compara illas imprimis cum pœnis hujus vitæ; deinde cum pœnis inferni. Si comparentur pœnis ac tormentis hujus vitæ, concors est sanctorum Patrum opinio, pœnas purgatorii atrocitate superare tormenta, supplicia, cruciatus, & quidquid tolerârunt vel innocentes Martyres à sævissimis tyrannis, vel fontes enormium criminum rei à rigidissimis Judicibus justè plexi; & quidquid tandem tormentorum in hac vita excogitari, inferri, & tolerari potest.

De hoc Augustinus in Psal. 37. *Graviter est ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.* Gregorius in Psal. 3. *pœnitentialem. Illum ignem omni tribulatione presenti existimo intolerabiliorem.* Hoc ipsum affirmat, & confirmat S. Anselmus in *Ep. 1. Cor. 3. S. Bernardus Serm. de obitu Humberti*, adstipulantur SS. *Canones cap. qui in aliud: dist. 25.* Adjungit D. Thomas, minimam ac infimam pœnam purgatorii, acerbitate superare quamcumque maximam, & atrocissimam pœnam hujus vitæ: ita loquitur. in 4. *dist. 21. q. 1. art. 2. Minima purgatorii pœna excedit maximam hujus vitæ.*

Coar.

Coacerva igitur in animo tuo mala omnia, quibus subjacere potest miserrima fors hominum, & subin tibi met ipsi dicito, his omnibus longè majora esse mala, etiam levissima, quæ sufferenda sunt in carcere illo lustrico & purgatorio.

Si levis febricula, dolor capitis, pectoris oppressio ita nos premat, ut tot gemitus nobis exprimat, quos putas tristissimos gemitus non extorquebunt sua tormenta afflictissimis illis animabus?

Non rarò fit, ut in hac vita miseri suis miseriis ipsimet lenimen aliquod afferre possint; hoc locum non habet in purgatorio, ubi afflicta anima suis doloribus ne hilum quidem detrahare potest, quantumcunque gemat, oret, & ejulet; si aliunde nihil opis, suffragii aut stipis accipiat, integram symbolam ut exsolvat, & debitum contractum, ipsa sola expungat, necesse est: *non exiet inde donec reddat novissimum quadrantem.* Matth. c. 5.

Si pœnas purgatorii conferre placeat cum pœnis inferni, fieri potest, ut aliquando pœna sensûs in purgatorio sit vehementior, quàm pœna sensûs quâ castigatur damnatus in inferno; fieri enim potest, ut peccator post primum, vel secundum grave peccatum præcipitetur in infernum; alius verò post centum vel mille peccata gravia, quoad reatum culpæ per contritionem veram deleta, remanente adhuc toto reatu pœnæ temporalis,

lis, addicatur purgatorio; an non priori illi levior longè pœna sensûs infligetur, quàm posteriori? Hæc sanè doctrina est Abulensis, *Paradoxorum* §. c. 46.

Si consideremus pœnam damni solùm, qualis est in seipsa, abstrahendò ab ejus duratione, videtur hæc major & gravior esse in purgatorio, quàm in ipso inferno: nec difficile est hujus rei sufficientes causas adducere: Pœna damni in inferno damnatum privat fruitione Dei, quem ut suum juratum inimicum fatali persequitur odiò; in purgatorio privat animam amantem Deò amicissimò, & per ardentissimum affectum, ab ea amatò.

Damnatus, si vel invitus desiderat DEO frui, id desiderat unicè ex naturali amoris proprii, & concupiscentiæ impulsu; cum interim anima purgans Deum non solùm desideret ex amore concupiscentiæ honesto ac supernaturali, sed etiam ex amore amicitæ purissimo, & divino, tanquam bonum infinitum, & immensum in semetipso; & ita consideratus Deus, est infinites amabilior, & omni amore dignior, quàm si consideretur ut jucundus, utilis ac bonus ipsis beatis, qui illum aspiciunt, & possident.

3. Duratio pœnarum in hoc purgatorio carcere non est eadem respectu omnium, sed varia pro varietate delictorum. Ex variis revelationibus constat, defunctorum aliquos huic pœnali carceri adjudicatos esse ad annos,

annos, annorum decades, & centurias, quin imò usque ad diem extremi iudicii, uti docet Cardinalis Bellarminus *L. 2. de Purgat. c. 9.* quam sententiam amplecti videtur ipsa-
met Ecclesia catholica, dum admittit, & acceptat foundationes stabiles pro sacrificiis piacularibus annuatim, vel etiam singulis mensibus, aut hebdomadis in perpetuum offerendis, ut per hæc pia subsidia, suffragia ac lytra, animæ ejusmodi fundatorum, pœnarum vinculis expeditæ, tandem liberæ in cœlestem patriam evolent.

In hac vita nunquam junguntur in unum, ut dolor sit intensus, & simul extensus, sive ut diu duret, & acerrimè urat, teste Pelusota: *feri non potest, ut concurrant utraque, violentia suppliciorum, & duratio.* Nam dolor nimis intensus se ipsum extinguit, dum subiectum, cui inhæret, evertit & perimit: sed in purgatorio vehementia cruciatuum nullatenus excludit, aut tollit è medio horum diuturnitatem.

Exhorresceres, si audires per integrum mensem te calidissimæ febris æstibus exurendum; & quid hoc si comparatur pœnis purgatorii, per annos & lustra sæpe productis?

Ex his veritatibus hætenus ponderatis oportet trinos hos haurire fructus. Primus sit, ut statuas, debita contracta expungere etiamnum in hac vita, & horum solutionem nequaquam differre in purgatorium. Secun-

N s

dus,

dus, ut caveas indies nova ligna parare, &
 adjice e flammis illis lustricis per consuetos,
 & quotidianos tuos defectus. Tertius, ut
 studeas, quantum potes, succurrere, &
 opem ferre piis illis animabus per sacra præ-
 fertim sacrificia, aliâque complura media, ac
 suffragia opportuna; nam si tu adhuc vivus
 obliviscaris mortuorum, DEUS permittet
 justâ talionis pœnâ, ut tui pariter post mor-
 tem obliviscantur vivi.

Punctum tertium.

Considera, duas duntaxat patere vias, quæ
 ad cœlum ducant; viam innocentia & vi-
 am pœnitentia. Si vel semel grave pecca-
 tum admisisti, prima via tibi occlusa est,
 & secunda solùm tibi jam patet: hæc
 igitur tibi ineunda hoc modo, ut re-
 siduam adhuc pœnam de peccatis, vel
 per perfectum contriti animi dolorem,
 vel per pœnitentia Sacramentum ritè dele-
 tis, in hac adhuc vita per aspera pœniten-
 tia opera, aut per purgatorii flammæ in al-
 terâ expies.

Perpende, quantum præstet priorem po-
 tiùs, quàm posteriorem divinæ justitiæ sa-
 tisfaciendi modum eligere, & quidem tri-
 plici ex causa; nimirum quia hic est magis
 honestus, magis utilis, & minùs difficilis,
 & asper modus.

1. Est

1. Est magis honestus ac decens cùm utique decentius sit contracta debita expungere ultroneâ maturatâ solutione, quàm tardâ & coactâ, postquàm ut morosus debitor à iudice compulsus fuisti. Tu fers ægerrimè, si creditor te ad tribunal curet citari, ut debitum præstes, antequàm à te illud petierit, & exegerit: & quare? quia turpe, & ingenuo homine indignum putas, debita non solvere, nisi coactè.

Qua fronte coram tribunali divino adhuc debitis oneratus comparebis? te excusare, & causari non poteris nimis teneram, & delicatam indolem, ac corporis tui complexionem; si enim non horres mille sufferre incommoda, ut tuis effrænibus satisfacias cupiditatibus, cur hæc, imò multò minora non sufferas, ut satisfacias tuis debitis?

2. Pœnitentia nunc suscepta, auget nobis paradyfi gloriam, qua post vitam fruamur, magnis & quotidianis incrementis, simulque efficit, ut remotis jam in vita obstaculis expunctisque integrè, vel saltem majori ex parte debitis, post mortem sine longiore mora, in purgatorio aliàs trahendâ, citò illam auspicemur, atque ita diutiùs illa perfruamur, quod utique magis utile & lucrosum est: Dum interim debitor in purgatorio anima non tam satisfacit, quàm satis patitur, & quidem sine omni augmento meriti, atque adeò etiam gloriæ, quantumvis ita pateretur per mille & plures annos;

nos;

nos; cum è diverso homo in hac vita quovis etiam minimo pœnitentiæ opere, vel minimæ afflictionis, aut æquanimi adversitatis tolerantiam semper novum gradum priori adjiciat merito gratiæ & gloriæ futuræ, quæ pari semper passu cum gratia crescit & ambulat.

3. Pœnitentia hujus vitæ non uno ex capite pariter est minùs ardua & minùs aspera, imprimis quidem, quia ordinariè non est coacta, sed ultronea, quamvis etiam mala & calamitates hujus mundi, quas evitare aut excutere non possumus, fortiter toleratæ, purgatorium aliquod esse possint, & quidem meritorium.

Deinde pœnitentia, & expiatio hæc non est ita continua, ut non interpositis quandoque licitis animi vel etiam corporis oblationibus interpolari possit, præterea hæc non est tam acris, & penetrans, ut illa, cum minùs asperum sit, animæ maculas eluere ad fontem ferventium pœnitentiæ lachrymarum, quàm in igneo purgatorii stagno: *farius est fonte purgari, quàm igne.* Guerricus. Serm. 4. Tandem, quia hæc longè brevior est, nam parum, & modicum pœnitentiæ in hac vita plus valet, quàm multum purgatorii in altera vita. Ludolphus *de vita Christi* P. 1. c. 20. censet unius diei pœnitentiam æquare pœnas in purgatorio per unius anni spatium sustinendas, pro fundamento adducit illud *Ezechielis c. 4. diem pro anno dedi tibi.* Id cer-

certum, quòd divinam Nemefin faciliùs placare soleat pœna sponte assumpta, quàm inflicta; sic enim docet S. Bonaventura in 4. Dist. 2.

Adjungamus etiam illud, quòd pœnitentia, sive purgatorium hujus vitæ non rarò plus delectet, quàm cruciet, cùm sapiùs supernis deliciis ac solatiis condat, & suaviter irrigetur: *uterque ignis purgatorius; sed iste purificat unguendo, ille urendo*, ait iterum Guericus: in considerationem vocari etiam poterit, quòd his pœnitentiæ operibus comites adjungantur varix indulgentiæ, sapiùs etiam plenariæ, quibus in solutionem oblatis, plurima & ingentia debita simul & semel deleantur. Amplectere igitur & sequere consilium tibi suggestum *Eccli. c. 7. de negligentia tua purga te cum paucis*, & propone indulgentias sacras semper sociare pœnitentiæ operibus. Itaque ad Christum confugito, tuum tam à culpa, quàm à pœna Redemptorem, eumque adora, & ita ora:

Domine JESU Christe Rex gloriæ, libera animam meam de pœnis inferni, & de profundo lacu: libera eam de ore leonis, ne absorbeat eam tartarus, ne cadat in obscurum. Qui vivis & regnas &c.

Dies